

**Oratio anniversaria Harveiana : in theatro Coll. Regal. Medicor.
Londinensium habita XVIII die Octob. MDCCXCIX / â Thomas Monro.**

Contributors

Monro, Thomas, 1759-1833.
Royal College of Physicians of London

Publication/Creation

London : Apud T. Jones, Fetter-Lane, 1800.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bupv6vz7>

Provider

Royal College of Physicians

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

O R A T I O

ANNIVERSARIA

H A R V E I A N A

IN THEATRO

Coll. Regal. Medicor.

LONDINENSIIUM

HABITA


XVIII Die Octob. MDCCXCIX.

A THO. MONRO,

Ejusdem Collegii Socio.



LONDINI: apud T. JONES, Fetter-Lane,



MDCCC.



O R A T I O

ANNIVERSARIA

HARVIANA

IN THEATRO

Coll. Regal. Medicor.


LONDINENSIVUM

HABITA

et in Die Obol. Medicor.

A THO. MONRO.

Physician in Ordinary to the



Londini: apud T. Jones, Fecit 1784

—————

MDCCCLXXXIV

INSIGNISSIME
P R Æ S E S!
VOSQUE ALII SOCIETATIS NOSTRÆ
COLLEGÆ DOCTISSIMI!

CUM oratiunculam hancce (rogantibus vobis, imò jubentibus) in manus tradam vestras, pauca, vos, ego, monitos esse volo, ne quis vestrûm, nasi forsan emunctioris, inter legendum submurmuret, “Crispini serinia!”—“Farrago libelli!”

Est certè cur vehementer pertimescam, ne, quæ “demissa per aurem,” vobis audientibus non omnino displicuisse videntur, ea, literis tandem scriptis expressa, atque “oculis subjecta fidelibus,” minimè placerent. Ecquis enim lector ignorare posset, concionatorem vestrum, exCiceronis, et aliorum quorundam scriptorum, paginis, hîc, illîc, in suam transfutuisse,

tulisse, quicquid, aut ad rem tractandam, aut ad propositi cuiusdam viri, memoriam celebrandam, aptum videretur et conveniens. Gravius, igitur, si quis, hoc de nomine, me accuset, confitentem habet reum. Unde etenim, nisi ad alienas opes me conferrem, (meis cum praesertim pauper essem) aut de illustribus viris satis graviter differere, aut inter ornatos satis ornatè loqui, sperare possem?

Sunt profecto, qui tali cum fuerint in discrimine versati, exclamare ausi sint, “Pereant qui ante nos, nostra.” Contra vero, mutatâ ratione, grato ego animo acceptum refero, quasi lucro apponendum, quicquid aut Caius reliquerit, aut Titius, quod, in rei nostræ decus, deduci, aut in honorem nostrorum, ullo modo converti posset.—Sed

“Oratorem vultis esse me, non Prologum.”


His igitur praemissis, valete! —

T. M.

ORATIO HARVEIANA,

HABITA

Die 18^{mo}. Octobris, M.DCC.XCIX.



QUAMQUAM eorum, qui in arte medicâ enituerunt, vobis multo jucundissima recordatio; quamquam in conspectu vestro, auditores humanissimi, atque in hoc aditu laudis adflare, honoris videtur amplissimam præ se ferre notam; et certe, cum in mentem mihi venit, quid negotii orationem publicam habere, quam multa esse oporteat in eo qui hodierno die Oratoris personam sustinere adductus, cum tot illustres doctissimosque viros in hoc cætu collectos video, animi sollicitudine magnopere commoveor. Intelligo quam scopuloso difficilique in loco verfer. Verum enimvero quicquid mihi laboris imposuerit insignissimi Præsidis auctoritas, quicquid solennis hæc consuetudo nostra, quicquid denique ipsius Harveii institutio, id certe, ut pro virili perficerem, meum me impellit erga vos studium, tum ex officio, tum ex voluntate promptissime paratum. Cum tamen multas egomet ex hoc loco habitas audivi orationes, et ingenii varietate copiosas, et eloquii suavitate jucundas, in eum me esse metum video adductum, ut pertimeam, ne impudenter fecisse videar, tali onere suscepto, utpote, cui istæ vires deficiunt, quæ aliis, eorum exemplis uti volo, simili in fortunâ non defecerunt.

Omnis vitæ ratio sic constat, ut quæ probamus in aliis, ea facere ipsi velimus. Nihil igitur accommodatius, aut ad imitationem magnarum rerum promovendam aptius, quam virorum illustrium laudes, in hujusmodi concionæ recitare et commemorare, et quasi in oculis conspectuque hominum res gestas proferre.—“ Trahimur omnes laudis studio (ait Cicero) et optimus quisque maxime gloriâ, ducitur—Est autem gloria laus recte factorum, magnorumque in patriam meritorum, quæ cum optimi cujusque, tum etiam multitudinis testimonio comprobatur.” Itaque quisquis artem medicam studiose secum reputaverit, exercitatores ejus in amplissimo gradu dignitatis collocari oportere, lubens fatebitur. Omnes enim ad pericula propulsanda quotidie concurrunt, et quicumque in hac nostrâ civium frequentia versetur, morbosque undique grassantes animadverterit, maximas iis, opinor conceditis, laudes persolverit, qui per totum vitæ cursum omnes curas cogitationesque in illud ita conferunt, ut tanta hæc valeant beneficia, ad salutem civium, ad opem impotentium, ad auxilium calamitosorum.

Quales et quam multas nobis imagines, non solum ad intuendum verum etiam ad imitandum, doctissimorum virorum expressas, majores nostri reliquerunt.—Egregius noster HARVEIUS, permultis ipse virtutibus abundans, studioque medicinæ promovendo præcipue intentus, hodiernum diem nostrorum memoriæ sacratum esse voluit; non solum ut honoribus mortuorum celebrandis, verum etiam animis viventium accendendis, inserviret; voluit, ut quoties majorum imagines intueremur, toties eorum famam atque gloriam adæquare eniteremur.

In folemni hac antecessorum nostrorum commemoratione, quem tandem in primis tam dignè eligendum putatis, quam illum, qui alteri Romulo similis, hujusce collegii fundamenta posuit, Linacrum? Magnum hominem et excelsum! Eo tamen is tempore vivebat, quò scientià quæque exquisitior, literæ humaniores, artes denique liberaliores tenebris dudum obductæ, in lucem conspectumque hominum redire tandem aliquando cœperunt. Ut primum ab iis studiis excessit Linacrus, quibus Academià Oxoniensi ætas juvenilis ad humanitatem plerumque informari solet, literarum perquam appetens, se ad Italiam contulit, perpolitæ elegantissimisque disciplinis tunc temporis florentem.—Finxit autem natura ipsa indolem ei ad ardua quæcunque munera capeffenda promptissimam, ardoremque, quò posset ingenii acumen excolere et promovere, indefessum donavit.—In Etrurià tunc auspiciatus dominatum imperio tenuit, magnificus ille Princeps Laurentius Medicæus, homo si quisquam sapiens, et altâ et divinâ quâdam mente præditus: qui omnes eruditissimos sui temporis liberalissimisque artibus affluentes ad Florentinos suos vocavit.—Hâc musarum sedê ad rem literariam arctius operam dedit clarissimus noster Linacrus, studioque ac doctrinâ claruit. Itaque rebus optimis institutus, et tantâ celebritate famæ cum esset Laurentio notus, cognitione atque hospitio ejus facilè dignus habebatur; in domum ejus receptus, optimi Principis amicitiam amoremque sibi maxime conciliavit.—Tali usus patrono, Florentiæ complures annos moratus est, donec omni studiorum varietate imbutus, domum tandem reversus, medicinæ rationem empiricorum malis artibus laborantem, felicissime restituit, restitutamque in melius etiam provexit. Multa quoque præclarè scripta et

lectū dignissima in lucem protulit, et quosdam Galeni libros latinis literis primus eleganter illustravit: unde cum plurimis scriptoribus, tum eximiè ab Erasmo collaudatus est, quocum familiarissime fuit conjunctus.—Haud ignari estis, auditores, quantā solertiā artem suam exercuit! quantā facilitate afflictiis semper succurrit! quantā vitæ simplicitate, quantā morum suavitate et modestiā se ubique gessit: ut communis infimis, par principibus videretur: quo fiebat, ut ad summum honoris gradum, quod uni eidemque homini raro contigit, merito accesserit.—Henrici Septimi ad aulam vocatus, non solum regis valetudini bonæ feliciter invigilavit, verum etiam filii ejus naturam et mores ita finxit, ut animum omni studio ac doctrinā imbutum relinqueret.—Mihi vero, atque omnibus, credo, quibus Linacri vitæ genus cognitum est, hunc tam excellentem virum, non propter eruditionem aut humanitatem solum laudandum esse videtur, verum etiam propter judicii gravitatem ac prudentiam, quā, regis sub auspicio, senatusque auctoritate, ædes hæc fundavit, sodalitium hocce legesque constituit, ac moriens collegis suis in perpetuum testamento reliquit.

Igitur primum illud munus fortunæ quod in hac potissimum urbe vixit, ubi stat munificentiae ejus monumentum, ubi artis professores in unum colligendo, salutis publicæ adeo acerrimè consuluit, ubi tot tantaque omnibus quotidie percepta beneficia accumulavit.—Hujus de virtutibus vitæque satis erit dictum, si hoc unum adjunxero, quod nemo inter medicos, medicinæ pater, nostræ societatis et restaurator, appellari tam bene meruisse videtur, quam Linacrus.

Sub idem tempus vel brevi postea floruit Caius, qui Linacri virtutes adeo admiratus est atque amavit, ut passibus prope æquis secutum esse, et quasi exemplum vitæque regulam, eum profecto habuisse videatur.—Hic prout ipse amabat literas, ex Cantabrigiâ ad Italiam profectus est, et omnibus artibus et disciplinis quibus mens impertiri debet, sese instructum voluit. Inter Bononienfes hoc specimen doctrinæ, quod cum in eâ Aca-
demiâ dicendi exercitatione assuefactus, magnus omnium iudicio extitit, et ad literas græcas publicè docendas, ipse cooptatus est.—Angliam reversus, rei nostræ dignitatem vel maximè amplificavit, et assurgenti reipublicæ quicquid aut ingenii, aut peritiæ aut scientiæ ad medicinam pertinentis, quam diligentissime conferre elaboravit. Certè nemini dubium est, qualis fuit in medendo artifex; nam cum serperet in hâc insulâ infinitum illud malum, manaretque indies latius, hic famâ accrevit, quoniam morbi symptomata indicare et remedia præscribere, unus ante alios potuit. Max-
imâ hic subtilique ordinatione res nostras disposuit, et elegantiam pariter ac fidelitate collegii annales latine conscripsit. Idem illi cum Linacro in negotiis labor, eadem industria, celeritas par in conficiendo, nec minus in providendo consilium. Uterque societatem nostram moribus exornavit. Uterque præsidis personam sustinuit. Nec minori se præbuit prudentiâ. Caius ille, quippe qui a decretis suis res nostras ad œconomiae normam conformaret, conformatasque honoris insignibus ornaret, ornatas, splendore quôdam proprio et ritibus solennioribus indueret.

Profecto quoniam illum qui hanc domum fundavit Linacrum, ad immor-
talitatem benevolentiam famâque sustulimus, esse apud vos posterosque vestros

in honore debebit Caius, qui consiliis ejus ac institutis, eandem hanc domum fundatam amplificatamque stabilivit.

His igitur rebus effectum est, ut reipublicæ nostræ valde adaugeretur auctoritas et observantia, institutio autem tam gravis momenti, multa ad opus perficiendum, quæ fociorum sequentium munificentia instrueret, postulavit,—At! at! tales viros, tali cum laude jure merito prosequamur; quisnam est, cui non ultro sese Cadwaldi et Lumleii nomina obtulerint? Qui res nostras, adauctas, locupletatas, stabilitas reddiderunt? Quorum alter Elizabethâ auspice reginâ, alter fortunâ suâ (cum pariter ingenio uterque valeret) disciplinis nostris hortatu, patrimonio, auxilio, exempla iidem præbuerunt et subsidia.

Haud ita multo post Gulstoni increbuit nomen, lectionis anatomicæ institutori eximii.—Illo enim, quis est qui in scholis nostris flosculos usquam pulchriores exhalaverit? qui ad humani corporis partes quod attinet, ipse sapiens, aliis in auxilio fuit, cur alte saperent.

Hinc æquabilius atque constantius sese res medicæ habuisse videntur—Hinc in famam profluxit notitiamque hominum (semper amatum, semper honoratum nomen) HARVEIUS! Amplior jam tum, idem et gratior nobis rerum ordo nascitur, studiorum rationes nostrorum contemplantibus: Admirationis campus sese aperit latissimus, collaudandi materies maxima. Illo etenim auctore sanguinis circuitum agnoscimus, sensibus nostris certâ fide expositum, et summo studio doctissimorum omnium ac consensu planè perspicuèque demonstratum. Nobis inde quicquid abstrusi arteriarum in
fe

in se habeat et venarum ratio multiformis, panditur id omne, Harveio interprete.—Illo quis acrior in eruendâ veritate? Quis in defendendâ constanter? Quis debellator invidiæ fortior? Quis meritorum suorum firmior vindex imo aut modestior? De hoc tamen tam spectato, tam absoluto viro, omnia si vellem commemorare, indolem, dotes, facultates, pectoris, animi, ingenii, vobis otium deficeret audientibus, mihi narranti dies—Ut, ut, vero hoc se habeat, faciles mihi vos aures accommodaturos probè scio, dum paucis, ut possim, explicem; quales illi quantæque a nobis debentur gratiæ, qualia illi et quanta a nobis accepta referenda sunt beneficia:—Ille scilicet si quis alius, ex eorum numero fuit, qui posthabita etiam propriâ salute, de commodo publico cogitaverint dies noctesque, qui salutaria viderint, deque suo deprompserint, ita ut in commune bonum divino quodam munere concitati viderentur.—Viam sane Harveius noster (quasi rebus novis studens) lubricam eam periculosamque ingressus est, in qua cautè pedetentimque progrediendo, culpam quisquis vitaverit, is demum laudem sibi haud mediocrem possit vindicare—Absit tamen, ut in animum quis inducat inventionem illam suam, leviusculum fuisse quiddam, aut mediocri sive cum labore sive gloriâ conjunctum. Verum etiam, quoties eam in memoriam revocaverimus, toties necesse est sentiamus, nihil, nisi veritatis indagacionem acerrimam, cum summis animi viribus perfectam, laboribusque tantum posse unquam opus tam feliciter exegisse. Sed nec illi tantum exegisse fatis erat, in scriptis etenim suis, quæcunque domi studio suo auspicato excuderit, ea omnia in commune bonum detulit, et nobis legenda tradidit, oratione, argumentis, experimentis, ornatè, graviter, luculenter exposita—

Hifce

Hicce tandem studiis dum impensius incumberet, quæ in utilitatem prorsus omnium profluerent, societatis præsertim nostræ, sese haud immemorem præbuit. Munificentia nempe suâ domum hanc variis insignivit ornamentis, beneficiisque, quarum rerum omnium recordatio et memoria, nullus equidem dubito, stabit inter nos vigescetque, dum res nostræ in honore sint apud homines, aut utilitatem conferant aut folatium.

“ His saltem accumulem donis.”

Post Harveium, Hamæo diligenter habenda est ratio; qui in procella civili, cum res tumultuosè gerebantur, et corruptis civitatis moribus ad hastam publicam delatæ sunt ædes nostræ, hic tantum abfuit ab omni cupiditate, ut non sibi sed sociis magno eas pretio recuperaret. Idem iterum hoc officium auxit aliâ quoque liberalitate; nam cum esset dives, atque ædibus nostris post fatale hujus urbis incendium communi ruinâ involutis, quæ pro mænibus reædificandis opus fuerant, omnia ex suâ re familiari dedit. Quibus ex malis ut collegium emerferat, nihil aliud egit, quam ut huic societati, quibus rebus posset, esset auxilio. Neque minus vir bonus fuit, optimisque artibus eruditus; sic enim existimo, tam multa tam urbana collegio officia præstitit Hamæus ut nemo nobis perpetuo debet esse carior.

Harveii exemplum varios ad labores præcipuè anatomicos homines incitavit. Inter quos hepatis structuram maximè illustravit Glissonus.—Whar-tonus glandulas corporis indicavit atque explicuit.—In cerebri compage investigandâ inclaruit Willisius.—In corde Lowerus, in musculis Cronius operam strenuè navarunt. Fuerunt præterea multi clarissimi nominis viri qui non minus dignitate et peritiâ, quam munificentia suâ res nostras amplificârunt.

Atque

Atque hoc loco in memoriam vestram revocabo Sydenhamum, virum lectissimum, maximæque sapientiæ medicum, in quò summa erat industria, summa constantia, summa sedulitas, observatio tanta quanta denique totò in ipso ordine medicorum, qui illius operà in claritudinem pervenit.—Præclarissimus ille quidem naturam fautricem habuit in tribuendis ingenii dotibus, et sui iudicii potius, quid se facere par esset, intuebatur, quam quid alii artis professores laudaturi forent.—Tantum superabat ejus vera illa et directa ratio, ut aliorum sententiis aut scriptis non omnino posset confidere; verum lectibus ægrorum assidens, morbisque attentè ac curiosè invigilans, ex ipsius naturæ operationibus veritatem quæsit. —Nec hujusce majus afferre testimonium necesse est, quam quod ex scriptis ejus justè patet; ubi omnia ad historiam morborum pertinentia, ita sunt ab illo explicata et elucidata, ut divinò quòdam nutu et gesta et provisa fuisse videantur.

Multum debet illustri Radclivio res medica, qui incredibili pene sagacitate, excellens, (in quà omnibus ferè sui temporis præibat) morbos distinguendi et præsciendi facultatem vere habuit, artemque ex remediorum farragine, quæ vel antiquorum superstitione, vel recentium ignorantia obtinuerunt, liberavit.

Ecquis unquam excultior in literis humanioribus effloruit, cum Græcistum Latinis, aut in arte nostrà magis se egregium reddidit, quam Friendius? Quem sive in reconditâ Mathesi versatum, sive ad ardentes fanioris Chemiæ fornaces attentum, sive Philosophiæ Naturalis arcana explorantem, æquè peritissimum conspiciamus.

Huic successit collegii decus illud perpetuum, Meadius, cujus in arte suâ tam clare enituit eruditio atque solertia, cujus in scriptis tam pura et emendata latinitas, ut nihil inter medicos plus admirationis habere posset. Pro

confesso est apud omnes illum elegantem esse, splendidum, munificentem, artium cultorem, rerum antiquarum studiis apprimè deditum, scientiisque omnibus quibus elegantiae praesertim classicae cognatio quaedam continetur, maxime versatum : atque his virtutibus reliqua tam bene consentiebant, ut a nobis coli, laudari, ac diligi debetur.

Inter recentiores praecipuè memoratu digni sunt Pitcairnius et Austinus, qui tamen ob virtutem ac solertiam glorià et laude adhuc vivunt.

Hæsitanti profecto diuque consideranti, “ eloquar an fileam,” visum est mihi commemorare, a me praesertim, desideratum semperque desiderandum nomen, vobis, uti credo, non indignum, quod in memorià teneatur.—Vellem ego vobis consocium quendam vestrum depingere, qualem ferè omnes experti novimus, doctum, urbanum, literis deditum humanioribus, rei, five medicae, five domesticae, five publicae, feliciter, comiter, utiliter inservientem.—Sed timeo, ut fati dicam, nec nimis, pium quæ unicè deceant filium, parentem quæ non dedeceant honoratissimum. “ Manum igitur, ut aiunt, de tabulâ.”—De consocio illo vestro, vobis pro me, ea facile suppeditabit recordatio vestra, quæ nec præterire vellem omninò, nec omninò loqui valéam, quæ quanto plùs sentiam, tanto minùs fari possim.

Haud ingratum erit, a parentis si in amici nomen, idque splendidissimum, transirem; atque illud in primis mihi lætandum jure esse video, ut causa talis oblata sit, in quâ hæc societas opinetur non secus ac ego, de ejus præstanti famâ; tantæque celebritatis difficilior forsitan exitum quam principium invenire videatur; dicendum est enim de Warreni singulari eximioque ingenio; neque me fallit quantum negotii sustineo, cum considero recentioris
cujusdam

cujusdam orationis Harveianæ perspicuitatem, fidem, elegantiam, in quâ tam juste, tam verè, et quasi ad amussim descriptum fuit egregii illius viri eulogium, ut supra nihil ferè posset addi. Postulat vero amicitia, postulat demum summa in me officiorum testificatio, ne de tuâ, Warrene, perillustri memoriâ taceam. Nemo certe homo, Auditores, tam animo agresti ac duro adesse potest, ut fatum ejus mecum non deplorare vellet, qui propter artis suæ amplitudinem ac prudentiam, videbatur omnino mori non debuisse; solidam enim illo sapientiam consummatâ retinendi facultate conjunctam Natura genuit, Academiâque Cantabrigiensi, ubi educatus est, vim insitam atque ad diversa studia accommodatam multiplici doctrinâ promovebat.—Quid plura solertiae ejus exemplaria commemorem? quæ tanta quidem in hoc uno, quanta in omnibus reliquis fere medicis, quos aut vidimus, aut audivimus, non fuerunt. Nec vero ille in luce modo atque in oculis civium magnus, sed intus domique præstantior.—Quis clarissimis optimatibus ullo tempore jucundior? Quis æqualibus urbanior? Quis inferioribus indulgentior?—Quis magis dignitati medicinæ contulit aliquando? Quis spectatior medicus in hac urbe? Quis in consilio providentior, in iudicio gravior, in sagacitate acutior, vel in omni ratione humanitatis excellentior? Erat apud illum sicuti meminisse vos arbitror, jucundissima indolis varietas et ad omnia versatilis; inter senes, juvenes, tristes, hilares, naturam suam torquere et flectere ita cognovit, ut nemo esset ullius ordinis, vel ullius ætatis, qui hujus familiaritate uteretur, quin arctissimis amicitiae atque æstimationis vinculis Warrenum teneret.—Habuit quoque in sermone nativum quendam leporem, et voce, memoriâ, ingenio, tam mirè differuit, sane quod ii, qui aliis temporibus multarum rerum usu exercitatissimi fuerunt, hujus in conspectu, obticuerunt; adeo sale et facetiis confabulandi omnibus antecelluit. Propter infinitas occupationes

literis paululum temporis tribuit; quæ tamen in lucem protulit, cultu sunt uberrima scientiæque plenissima.

Nihil necesse est plura de laudibus Warreni, quem nemo vituperare posset, dicamus; sed talem hunc virum, talesque ejus sermones, singulari quâdam ratione agendi et loquendi fuisse, ut frustra à nobis quæratur, qui cum eo comparari posset, aut inter eos qui nunc sunt, aut inter majores nostros: nec ullum quidem perfectius in medium proferre liceat exemplar ad imitandum.

“ Quando ullum inveniam parem ! ”

Annus quidem nullus temerè intercedit, quo res non postulat, ut socii alicujus, mortem deplemus. Volvente anno, duo diem obierunt supremum præstantes viri, Rawlinsonus et Baggeius; quorum nomina honoris causâ hodiè sunt memoranda.

Ac si mihi nunc tempus daretur de laudibus sociorum omnium qui in hac palæstrâ inclaruerunt, dicere, plurima et maxima non solum beneficia, verùm etiam eruditionis solertiæque indicia commemorare possem.

Antequam finem dicendi faciam vobis, Auditores spectatissimi, gratias reddo, quoniam me benignè ac diligentèr audivistis.—Recordamini quæso, et majorum virtutes respicite—atque iisdem sententiis permanentes, ad ultimum animis contendite, ut vobismet ipsis decori, ut patriæ honori, ut generi humano utilitati esse possitis.—Omnia huic Collegio feliciter concedat omnipotens Deus, et gloria societatis nostræ vigeat memoriâ sæculorum omnium, quam posteritas alat, quam ipsa Æternitas semper tueatur!

F I N I S.